

CHRISTOPHERVS VVELSINGERVS CANCELLARIUS ARGENTINENSIS PRÆFULS.



Christopherus ex honesta familia natus, & in omni genere uirtutum educatus fuit. Hic quia fœlici ingenio esset præditus, cum prima literarum fundamenta percepisset, sese hinc inde ad uarias Academias, in primis uero Vuitebergensem, contulit, & liberales artes cum linguis optimè didicit. Inde sese ad Iuris studia conuertit, & in ijs adeò profecit, ut Iuris utriusque Doctor magno omnium applausu crearetur. Huic eruditioni etiam multarum rerum usum, uitæ integratam, & raram adiecit facundiam. Id cum Erasmus præfus Argentinensis intellexisset, eum liberali stipendio proposito ad se uocauit, & suum

Cancellarium elegit. Eam functionem Christopherus cum suscepisset, summa fide peregit, atque res sibi commissas singulari dexteritate expediuit. Hinc factum ut Erasmus prudens Episcopus in Comitijs Imperialibus, publicis que ordinum conuentibus, qui ob turbatam religionem hinc inde in Germania frequenter celerabantur, ut plurimum huius Christopheri opera usus sit, atque suo nomine legatum eò miserit. Christopheri etiam diligenti studio factum, ut bona pace & gratia semper ab utroque Cæsare Carolo & Ferdinando à comitijs clementer dimissus fuerit. Talem enim sese sua prudentia & humanitate erga omnes declarauit, ut magnum sibi non men compararit.